



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Codratus M. 10. Martii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

tum, arbitriumve fingas. Tua obedientia nunquam erit sine præmio.

2. Plerumque anxio & inquieto es animo: unde hoc? Ex eo sanè, quod vel nullo modo, vel certè coactâ & repugnante voluntate obtemperes iis, quorum DEUS te subjecit imperio. Si vis esse verus obediens, propriam exue voluntatem: Res planè difficilis! sed difficultas hæc à sanctis alacriter superatur. Quàm felicem vitam duceres, si tua voluntas cum voluntate præpositorum omninò congrueret?

3. Alienum etiam à Mandatis iudicium ne habeas. Non est inferiorum, superiorum iudicare mandata, nisi clarè divinis legibus repugnare videantur. Sic Jesus subditus erat Mariæ & Josepho, ut ad utriusque arbitrium, suum ipse iudicium lubens componeret. Jesum imitare: nam, quæ tibi præscribuntur, si tui iudicii lance examinare consueveris, nec hilaris, nec facilis, nec digna mercede erit obedientia tua. *Nescit iudicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Greg.

---

## S. CODRATUS M.

10. Martii.

*Nolite solliciti esse anima vestra,  
quid manducetis, neque corpori,  
quid induamini.* Christus. Luc. c. 12.

Adeste

**A** Deste & aures advertite, qui Matrem,  
 qui ubera matris, & sinum clamatis  
 molliculi: suum etiam superis lac est. Ma-  
 trem CODRATUS in cunis amisit, neque ta-  
 men non molliter est educatus. Etenim nu-  
 be miraculosâ implicitum Numen fovit, &  
 Ambrosiâ scilicet enutrivit delicatû. O plu-  
 ribus cæli hanc instillate, plures ut CODRA-  
 TOS habeamus: Nimirum à cælo lactatus  
 cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, &  
 cæli amore, etsi medicus aliorum prolonga-  
 ret, suam ipse tamen vitam imò mortem  
 contempsit. Ecce enim verberant crudelem  
 in morem CODRATUM tortores: Aërem,  
 non CODRATUM verberant. Nunc minas  
 Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit, &  
 promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum  
 sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire si-  
 bi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio  
 imbuti; cum cantu ivère, & illo, si iudices  
 vel Cælitum aures rogâsses, longè suavissi-  
 mo. jam verò cum capite sunt truncati,  
 gaudio demum diceres exiluisse. Terra quo-  
 que applaudens eo in loco, quem sanguine  
 pinxerunt, fontem reddidit, sed qui Chri-  
 stianorum pro Christo mori volentium non  
 pelleret, sed accenderet sitim.

*Ex Surio.*

MEDIT-

*De compositione voluntatis nostræ  
cum Divinâ.*

1. **D**Ei providentiæ penitus te committere ; a-  
mens quippe est, quisquis resistit Omni-  
potenti. Itaque certus, nihil fieri contra divinam  
voluntatem, ut in secundis, sic in adversis rebus  
acquiesce : hac ratione & vives felix, & placebis  
Deo, imò verò id si velis unum, quod vult Deus,  
tuam semper facies voluntatem.

2. Deus melius novit, quæ tibi prosint, quàm  
tu ipse : noxia sæpius expetis ; similis es pueris, stul-  
tis, & phreneticis, quibus nec venenum, nec gla-  
dii permittuntur, ne sibi mortem consciscant. Erit  
aliquando tempus, cum divinæ providentiæ grates  
referas, quod ratione nunc tibi ignotâ tecum agat,  
& quod tibi ea deneget, quæ vehementiùs concu-  
piscis. Excipe gratò, & lubenti animo, quidquid  
boni, aut mali tibi acciderit, dumque res tuæ prof-  
perè cadent, hujus prosperitatis indignum te fatere.  
*Gratias Deo non minùs in prosperis agas, quàm in adver-  
sis, & cum prospera sunt, te non meruisse fatearis.* Euch.

3. Deus tibi daturus est, quod tuæ saluti con-  
ducet magis. Pater tuus est, an in dubium revocare  
potes ejus amorem ? Magis te amat, quàm tu te  
ipsum, utpote qui totum suum sanguinem fuderit  
pro salute tua, pro quâ vel minimum laborem refu-  
gis. Quotiescumq; affligeris, memento, afflictionē  
tuam à Deo Patre tuo permitti : *Sicut enim semper  
Deus, ita semper pater.* Euf. Emiss. S. MAR-